

263

261

267

257

272

252

312

212

362

162

Ende

Anfang

252

tota Europa gyrata, reversi sunt Argonautae. De hoc itinere mirabili vide infra fol. 226 a. Haec tamen omnia legentibus suo arbitrio judicare licet.

Insuper ante trojanum bellum fuit facta Rhodus regnum proprium; legitur enim, quod Hypolemus, Jovis filius, magnus factus, fabricatis navibus cum multitudine gentium fratres fugiens et affines, quia occiderat Licemonem, a Marte progeniem ducentem, intravit mare et Rhodon abiit ibique imperavit Rhodiis. Inde euntibus Graecis in Trojanam expeditionem cum eis abiit ad Trojae destructionem.

Insula haec duo habet nomina principalia: dicitur Rhodos et Cholos, vel Rhodon et Colon, vel Rhodis et Cholis, vel Rhodus et Cholus, vel Rhodum et Colum (vide plura nomina fol. 157 b., Inde Rhodienses et Colocenses. Volunt tamen aliqui dicere, quod Rhodus sit nomen totius insulae, et Cholus sit nomen civitatis principalis in ea, sed unum pro alio sumitur. Sumtum est autem hoc nomen Rhodus ab eo, quod dum urbis fundamenta foderentur, rosae capulum dicitur fuisse inventum, dicitur enim rhodus graece, rosa latine.

Cholos autem dicitur vel Colus propter colossorum multitudinem et propter ingentis Colossi magnitudinem. Est autem Colossus simulachrum quoddam et statua, aliqui dicunt Jovis, communiter dicitur idolum Solis fuisse, et fuerunt centum colossi in illa insula, unum tamen simulaerum et unus colossus adeo ingentis erat magnitudinis, quod connumeratus fuit inter septem mirabilia mundi tertium, quae ponit Josephus post librum vigesimum Antiquitatum. Fuit autem simulaerum ex aere fabrefactum per clarum Liddum statuarium, fusum, altitudinis LXX cubitorum. Alibi legi, quod erat imago aerea, CXXX pedum, longior XV pedibus quam major colossus inter colosso, qui in Colosseo Romae erant. Mirum profecto fuit, quomodo tam immensa moles fundi potuerit, et facta quomodo eam erexerint? Verum hoc, quod vulgus refert de isto Colosso magis mirabile est, quod fateor me non legisse sed audiisse. Dicunt enim, quod Colossus ille in mari stabat et portum rhodianum observabat, distentis enim ab invicem cruribus stabat in introitu portus ita in altum erectus, quod naves quantumcumque altae et magnae per crurium medium sub ventre ejus intrabant. Digi ejus maiores erant plerisque statuis. Porro anno quinquagesimo sexto, quo fusum est, idolum hoc terrae (¶) motu insulam

